THESES PHILOSOPHICAE,

Quas DEO auſpice & propitio,

Pro virili propugnabunt Adoleſcentes

Magiſterii Candidati, ex ACADEMIA *IACOBI REGIS*, *hac vice cum* laurea emittendi, ad diem 2. Kal. Auguſti.

EDINBVRGI, *in Æde Sacra Auſtrali.*

PRÆSIDE ROBERTO RANKENO.

EDINBVRGI,
Excudebant Hæredes *Andreæ Hart.*
ANNO 1627.

MAGNIFICIS AC ORNATISSIMIS D.D. D. DAVIDI AIKINHEAD, Vrbis *Edinburgenæ præfecto* Clariſsimo.

D.D. Ballivis digniſsimis, cæteriſque *Vrbis* Edinburgenæ, *Senatoribus ampliſsimis & prudentiſsimis*, Academiæ IACOBI REGIS *Patronis benigniſsimis*, Adoleſcentes Magiſterii candidati. S.

SENATVS Edinburgeni *nomen, Almæ Matri Academiæ auſpicatiſſimum eſſe, nemo ignorat, niſi qui ipſam Academiam prorſus ignorat: Ejus enim benignitate, prima Academiæ fundamenta facta ſunt: ejus curâ & ſollicitudine, conſervata, ac mirum in modum propagata eſt: ejus ſtudio & munificentiâ, præclaris profeſsionibus, pulcherrimis ædificiis ſumptu haud mediocri*

cri & apparatu insigni exstructis, magnifice ornata est, ut non immerito eum solũ Parentem prædicet & agnoscat. Nos igitur almæ matris Academiæ alumni, quem nobis Patronum eligeremus, nisi quem Parentem meritò agnoscimus? Quare tibi (Clarissime D. Præfecte) Totique Senatui, hunc ingenioli nostri fœtum, ut vobis jamdudum debitum, nuncupamus: nam præter communia totius Senatus beneficia in Almam matrem Academiam (Quæ neque diffiteri, si velimus, possumus, nec dissimulare, si possimus, debemus) hunc sibi vindicavit meritorum tuorum eximia dignitas, virtutum laus & gloria singularis, quæ in hac civitate maxime viget, in cujus rebus administrãdis, tantâ uteris cõsilii gravitate, tantâ prudentia, ut hujus civitatis oculus & mens jure appellari possis. Idem etiam suasit splendor tui nominis, quem nuper Serenissimus Rex, novis additis insignibus, splendidiorẽ reddidit, nam tuæ Authoritatis velõ, hæc nostra lucubratiuncula ab omni aut carie vetustatis, aut livore & obtrectatione immunis servabitur. Et denique idem extorsit ardentissimus tuus amor in Academiam, & nostrum μισογενεῖς, nosque Academiæ alumnos, pro quo non solum gratias agere & habere tantas, quantas animo capere ac metiri possumus, sed etiam referre, si possimus, vehementer cupimus: Aurum, argentum, cæteraque hujusmodi, quia nostra non sunt sed fortunæ, non possidemus, quæ possidemus intra nos sunt, intra nos sunt quæ dono damus, damus autem de ijs quæ venis & visceribus Philosophiæ penitus inclusa sunt. Accipite igitur (Præfecte Clarissime, Senatores Prudentissimi, Academiæ vestræ nutritii & Patroni benignissimi) munusculum hoc grati erga vos animi testimonium & monumentum perpetuum: Neque dũ has nostras vigilias amplitudini vestræ consecramus, aliquid de novo tradimus, sed ea quæ vestra sunt, hilari animo resignamus, omnes enim nostras cogitationes & opera, ipso jure, sine ulla externa inscriptione, vestra semper judicamus,

Serena

Serena itaque fronte, ea quæ vestra sunt, inspicite, suscipite, & fovete, & Pergite Euergetæ benignissimi, almam matrem Academiam indies magis ac magis fovere; hanc enim vestram insignem pietatem, & bonitatem eximiam, literæ nunquam conticescent, vetustas nunquam conficiet, sed quotidie floreſcet magis ac magis, & caneſcet ſæculis innumerabilibus. Bene ac fœliciter valeat Amplitudo vestra.

Alexander Kennuwius.
Alexander Synſerfius.
Archibaldus Duglaſſius.
Georgius Dunlopus.
Georgius Karketlius.
Georgius Pringallus.
Gulielmus dunbarus.
Gulielmus Loganus.
Gulielmus Walkerus.
Gulielmus Watſonus.
Henricus Charterus.
Iacobus Duglaſſius.
Iacobus Haigius.
Iaobus Schonnerus.
Iacobus Scotus.
Iacobus Weileus.
Iacobus Wrightus.
Iohannes Collæus.
Iohannes Dugallus.
Iohannes Hartus.
Iohannes Humius.
Iohannes Lawræus.
Robertus Gibiſonus.
Samuel Lindeſius.
Thomas Hogæus.

THESES LOGICÆ.

I.

ΠΡΟΒΛΗΜΑ διαλεκτικὸν ὅτι, θέσιν τὸ συντείνον ἢ πρὸς αἵρεσιν ἢ φυγὴν ἢ πρὸς ἀλήθειαν ἢ γνῶσιν· ἢ αὐτὸ, ἢ ὡς συμβεβηκὸς πρός τι τούτων. Cap. 1. 12 1. Top.

Apen. 1. *Problema dialecticum in terminis logicis, (quod ex omnium sententia, sub tertio membro comprehenditur) instrumentarium tantum est; at in terminis scientialibus constructum, per se, & non tanquam instrumentum, ad scientiam, & veritatem tendit.*

2. *Dialectica igitur utens, seu rebus applicata, disciplina instrumentaria non est, licet tum præcipue, aliquid instrumentum dicendum sit, cum in usu positum est.*

3. *Sicut logica docens, scientia non est; ita utens, scientia recte dici potest: non tamen distincta a cæteris scientiis contemplativis, sed quatenus sit scientia illa cui applicatur, quid enim aliud, est Philosophia naturalis, nisi logica rebus naturalibus applicata.*

4. *Logica igitur utens, non tam habitus, quam usus quidam habitus est.*

II. Ens rationis est, quod consequitur rem prout habet esse objectivè in intellectu.

1. *Illius igitur natura, non ex habitudine ad subiectum, sed ex habitudine ad intellectum, deprómenda est.*

2. *Quare ut accidentia rei, per habitudinem potentialem ad subiectum, obtinent essentiam & per actualem, existentiam, ita quoque entia rationis, ex potentiali habitudine ad intellectum, consequentur essentiam, & ex actuali, existentiam.*

3. *Tantùm igitur habent esse cognitum, & obiectivum, & neque per se, neque in alio.*

4. *Cumque omnis effectio, quæ est operatio realis, necessario terminetur, ad aliquod esse realis existentiæ, nullam habebunt causam efficientem dantem iis esse.*

5. *Dabitur igitur aliquid, quod non habet causam, quod neque est primum ens, neque merum nihil.*

III. Natura generica, per differentias specificas contrahitur, & per easdem realiter dividitur, in plures species: sicut natura specifica, per differentias individualem, in plura individua.

1. *Ergo ante operationem intellectus, nulla est unitas formalis, quæ sit pluribus communis.*

2 *Unitas hæc communitatis, neque naturæ essentialis est, neque naturalis eiusdem proprietas,*

3. *Essentialiter, & ab intrinseco, natura non est communicabilis, neque ex se, habet aptitudinem, aut non repugnantiam, ad essendum in pluribus.*

4. *Et cum aptitudo præcedat omnem actum, nullum universale, in pluribus actu inerit, ante operationem intellectus.*

5. *Ante operationem intellectus,* Socrates *non tam* Homo, *quàm* hic Homo, *dicendus est.*

6. *Actus igitur universalis, mixtus erit, ex eo, quod res vendicat suâ naturâ, & ex eo, quod ab intellectu participat.*

7. *Prioritas igitur naturæ, quæ natura præcisè à singularibus tribuitur, plus habet imaginationis, quam realitatis.*

1. *Ex se igitur, natura generica, non est divisa, cum non per differentias genericas, sed specificas, dividatur; neque natura specifica ex se distincta est, cum non per differentias formales, sed individuales, distincta sit.*

2. *Sicut igitur natura, ex se non est communicabilis, ita neque incommunicabilis erit.*

3. *Utrumq; igitur ei accidit, unum, per intellectum, alterum, per differentiam individualem.*

4. *Ab unitate igitur numericâ sibi prorsus extrinsecâ, nihilominùs realiter coniunctâ multiplicationem, & incommunicabilitatem sortitur; quæ ipsam prorsus incommunicabilem reddit, licet incommunicabilitas ab ipsa non procedat,*

5. *Et hinc est quod licet tot sint unitates formales, quot sunt individua cuiusque naturæ, non tamen differunt formaliter.*

6. *Hinc etiam est quod formalis unitas possit esse fundamentum universalitatis, numerica verò, minimè; cum illa, tantum ab extrinseco, hæc autem ab intrinseco prorsus, incommunicabilis & inepta redditur.*

IIII. Καθολου ἐστιν ὁ ὅτι πλείοσι πέφυκεν ὑπαρχειν. Arist. lib. 7. Metaph. cap. 13.

1. *Ad universale igitur constituendum, duo requiruntur, unitas, & prædicabilitas.*

2. *Unitas propria universalis, ex propria sua conditione, adiunctam habet aptitudinem, ut natura dividatur in inferiora.*

3. *Imò unitas, & prædicabilitas, una & eadem res sunt, distincta tantum ratione.*

4. *Unitas igitur hac indivisionem simul, & divisibilitatem ponit: est enim universale, ens indivisum, & simul in plura divisibile.*

5. *Unde patet, unitatem vniversalis propriam, neque formalem esse, neque numericam: illa enim, in individuis multiplicatur, hac autem, non solum divisionem, sed divisibilitatem negat.*

6. *Erit igitur hac unitas quodammodo mixta, includens conditiones utriusque, convenit enim naturæ communi. sicuti formalis, nullamque patitur in subiecto actualem divisionem sicut numerica.*

7. *Et sicut ipsum universale, essentialiter & universaliter, non genus est, aut species, ita neque hac unitas universalis propria, formaliter generica, aut specifica est.*

8. *Datur igitur unitas rationis, quæ neque generica est, neque specifica.*

V. Species de *Homine* & *Leone*, tanquam de duobus individuis, ad modum speciei prædicatur.

1. Homo *igitur* & Leo, *in ratione universalium, specie non distinguuntur, sed solo numero.*

2. *Unitas igitur præcisionis, dici potest unitas numerica.*

3. *Vnitas igitur numerica, potest esse minor unitate genericâ aut specificâ.*

4. *Maxima igitur unitas, est unitas numerica simpliciter talis; quæ non solum tollit divisionem, sed etiam divisibilitatem, non ea rationis, seu obiectiva; quæ divisionem tollens, divisibilitatem ponit.*

VI. Vniversale est unum *in multis*, & *de multis*, ut ex ejus definitionibus manifestum est.

1. *Forma igitur universalitatis, est relatio secundum esse, & universale, non absolutum, sed essentialiter relativum est.*

2. *Vnitas igitur universalis, non est negativa, per quam natura solum redditur negativè indifferens, sed formaliter positiva est; intrinsecum & positivum respectum ad multa importans, & pro fundamento, negativam hanc unitatem includens.*

3. *Licet igitur unitas illa præcisionis, necessario requiratur, sufficiens tamen non est, ad constituendum universale, in actu.*

4. *Per abstractionem igitur mentis, non assequitur natura, proprium nomen universalis, sed solum propter hanc unitatem negativam & aptitudinem negativam, negative universalis dici debet.*

5. *Per quam igitur operationem intellectus, natura fit actu intelligibilis, per eandem non fit actu universalis.*

6. *Si Ideæ* Platonis *existerent, universalia non essent.*

7. *potentia igitur prædicandi de pluribus, quæ proprietas est universalis, non est potentia de categoria qualitatis, & ens absolutum, sed modum potius habet relationis actualis, licet non per modum actualis exercitii referendi, significatæ.*

VII. Differentia atoma, & subalterna, quæ ad idem prædicabile spectant, non minus distinguuntur, ex parte eorum de quibus prædicantur quam genus & species.

1. *Diversus igitur modus prædicandi, ex quo distinctio prædicabilium, cum* Porphyrio, cap. de genere, *desumenda est, considerari non debet, ex parte eorum de quibus prædicabilia sunt.*

2. *Ex diverso modo se habendi, eiusdem prædicabilis, ad inferiora, necessario desumendus est.*

3. *Cum igitur quinquè modis, sese habere possit prædicabile, ad ea de quibus prædicatur, vel enim habet modum totius, vel partis; & partis, vel materialis, vel formalis; vel modum accidentis; eiusque vel necessarii, vel contingentis, quinarium numerum universalium, retinendum censemus.*

4. *Licet itaque singularia, vel specie vel solo numero differunt, & omnis etiam abstractio sit à singularibus, non tamen omnis abstractio est ab iis quatenus specie, vel numero differunt, neque omnis abstractio, est vel generis, vel speciei.*

5. *Imò neque abstractio propria generis, aut speciei, licet sit à singu-*

singularibus specie aut numero differentibus, ab iis est, qua talia sunt, sed qua respectu singularium, à quibus abstrahuntur, modum totius, aut partis materialis habent.

6. *Non igitur sunt tantum duo universalia in essendo, & tria in prædicando, sed quinque sunt universalia in essendo æquè prima.*

VIII. Entia rationis, concipiuntur ad modum entis positivi habentis aliquam entitatem.

1. *Potest igitur intellectus, à pluribus entibus rationis, unam rationem abstrahere, in quâ conveniant, sicut abstrahit ab entibus realibus, quæ si de pluribus differentibus specie dicatur, genus erit; si de pluribus differentibus numero, species.*

2. *Negatio igitur formæ indeterminatæ; se habet ad modum generis, ad negationes quæ tollunt formas determinatas.*

3. *Cumque inter negationes tollentes formas determinatas, nequè negationes superiorum, possunt esse genera negationum inferiorum, (sic enim fieret, ut genus negaretur de sua specie) neque negationes inferiorum, genera esse possunt superiorum, (sic enim unius rei plura essent genera non subalternatim posita) dicendum est, omnes negationes tollentes formas determinatas, sivè forma sit genus, sivè species, sivè individuum, esse species infimas inter se disparatas.*

4. *Una igitur species disparata, prædicari potest de alia, si non in quæstione* quid, *saltem in* quale quid, *quæ prædicatio potius est negationis* Socratis, *de subiecto de quo prædicatur negatio* Hominis, *quàm negationis, de negatione: ideoque magis illatio, quàm unius negationis, de alterâ affirmatio dici debet.*

4. Non Homo *igitur in angelo, & non* Homo *in cœlo, quæ sunt duo individua* non hominis, *aliquid amplius includunt, quam* non Homo *in communi, differentiam nimirum individualem.*

5. *Verùm cum* non Homo *angeli, nec plus, nec minus negat, quàm* non Homo *in communi, differentia hæc individualis, non erit negativa, sed modum potius contrarij obtinebit.*

6. *Sicut igitur* albedo *in communi, repugnat completè* nigredini, *&* hæc albedo *præter communem naturam, includit etiam differentiam suam particularem, quæ nigredini etiam contrariatur, licet incomplete: ita* hoc non homo *præter communem*

rationem, includit propriam differentiam quæ incompletè & in actu exercito, excludit hominem, quem non homo *in communi, completè, sed in actu tantum signato excludebat.*

IX. Quodlibet individuum substantiæ importat naturã specificam, modo particulari subsistendi determinatam.

1. *Quemadmodum igitur ab hac natura substantiæ, abstrahibilis est, communis conceptus naturæ substantialis; pari ratione, à particulari modo subsistendi, huius & illius individui, abstrahibilis est communis conceptus singularis modi subsistendi, qui omnibus individuis communis est.*

2. *Individuum vagum, communem conceptum modalem, à particulari modo subsistendi particularium abstractum, denotat; individua tantùm remota ratione.*

3. *Hæc igitur prædicatio,* aliquis homo est homo, *est prædicatio speciei infimæ, de specie infima.*

4. *Verùm cum omnis species infima, atoma sit, neque aliam speciem sub se habere possit, individuum vagum, inter speciem, & individua, medium non erit, divisio enim prædicamentalis, prædicatorum est duntaxat, diversos naturæ gradus continentium.*

X. Maximè propria differentia est, quæ dividit genus, & constituit speciem. *Porph. cap. de differentia.*

1. *Licet igitur differentiæ specificæ, sint conceptus primò diversi, ex diversis perfectionis gradibus desumpti, officio tamen conveniunt, cum commune sit omnibus, genus dividendo, constituere speciem.*

2. *Sicut igitur individua propter eundem modum singularem subsistendi, huius & illius individui, conveniunt in communi conceptu singularis modi subsistendi, ita etiam species propter eundem modum specificationis, in conceptu communi speciei, univocè & realiter conveniunt.*

3. *Species itaque, non solum pro naturâ notioni substratâ, sed etiam pronti talem modum specificationis in communi denotat, attributum reale erit.*

4. *Et cum idem specie sit, specificationis modus, in omnibus speciebus, species hæc, species erit.*

5. *Omnes itaque species, specie conveniunt, & numero tantùm distinguuntur, per diversos specificationis modos, in diversis differentiis specificis.*

6. *Per*

6. *Per differentias ſpecificas, tam ſpecie quàm numero diſtinguuntur, ſpecie, prout differentiæ, à diverſis perfectionis gradibus acceptæ, realiter naturam dividunt, numero tantùm, prout in communi officio, & modo ſpecificandi, ſpecie non diſtinguuntur.*

XI. Proprium in habitudine ad individua, veram habet rationem proprii, & non accidentis communis, cùm eadem ſit ſpeciei & individuorum eſſentia.

1. *Differentia igitur conſtitutiva quarti prædicabilis, eſt modus prædicandi de ſuis inferioribus, in* quale quid *neceſſario.*

2. *Non igitur in relatione ad ſpeciem ſolam, proprium ſortitur rationem quarti prædicabilis, licet nomen hoc importare videatur.*

3. *Nomen igitur proprij, accidentariam tantùm rationem quarti prædicabilis denotat.*

4. *Definitio igitur proprii apud* Porph. ὁ μονῳ, καὶ παντι, καὶ ἀει, *eſſentiam proprii, ut quartum prædicabile eſt, non declarat.*

5. *Optimè tamen hæc eſſentiam proprii declarat, quatenus prædicatum eſt, quemadmodum definitur, ab* Ariſt. 1. Top. *ex quo loco deſumpſiſſe videtur* Porphyr. *hanc definitionem, diſtinctionem conſiderationis utrobique, non advertens.*

6. *Proprium igitur, ut eſt quartum univerſale, ſic commodè definiri poteſt,* Proprium, eſt prædicabile de pluribus, accidentaliter, & neceſſariò.

XII. Οὐδὲμως τὸ μέρος τῦ ὅλυ κατηγορεῖται. Ariſt. 4 Top. cap. 5.

1. *Vt igitur propoſitio vera ſit, non ſolùm requiritur ut attributum in ſubiecto includatur, ſed etiam ut attributum contineat, quicquid eſt in ſubiecto, & per modum continentis illud, ſignificetur.*

2. *Hæ igitur propoſitiones* homo eſt humanitas, humanitas eſt animalitas, *falſæ ſunt.*

3. *Longè igitur diverſa ratio eſt, inter prædicationem concreti de concreto, & abſtracti de abſtracto, hæc enim ſemper vera eſt,* homo eſt animal, *hæc nunquam,* humanitas eſt animalitas.

4. *Licet itaque* animal, *ab* homine *tantùm ratione diſtinguatur, ſicut* humanitas & animalitas, *in his tamen diverſitas rationis expreſſa eſt, in illis autem non expreſſa, unde extrema*

in priori propositione, licet distincta, non tamen ut distincta accipiuntur, in posteriori verò, ut distincta notantur, distinctum autem qua tale, de altero à quo distinguitur, verè prædicari non potest.

5. *Propter tamen identitatem realem, identicè & realiter, veræ esse possunt, licet formaliter semper falsæ, propter diversitatem rationis expressam.*

XIII. Omnis substantia, vel est prima vel secunda *Arist. cap. de substantia.*

1. *Ergo etiam substantia quæ est summum genus, sub uno prædictorum membrorum comprehendetur.*

2. *An non igitur dabitur prædicatum substantiæ, universalius summo genere.*

3. *Imò cùm divisum in hac divisione, substantia completa sit, (sicut membra dividentia) dabitur prædicatum completæ substantiæ, summo genere superius licet summum genus omnes completas substantias complectatur.*

4. *Cùm igitur hoc simpliciter impossibile sit, dicendum est, idem diverso respectu, sese latiùs, & minùs latè, patere posse.*

5. *Substantia igitur secundum essentiam considerata, complectens omnes substantias completas, seu prout summum genus est categoriæ, per corporeum & incorporeum divisa, seipsâ minùs latè patebit consideratâ, in quantum subsistens est, seu quatenus actum substandi respectum denotat, sic enim dividitur in primam, & secundam substantiam, sub qua summum genus continetur*

6. *Datur igitur substantia completa, quæ in categoriis non est collocanda*

XIV. In superficie dantur lineæ, in corpore superficies, actu terminantes, & continuantes, quæ non sunt inter se actu separatæ, sed continuatâ quâdam extensione protenditur quælibet per totum corpus.

1. *Ergo linea, ita est extremum superficiei, ut eius partes continuet, sicut superficies, partes corporis.*

2. *Nullum igitur est punctum in superficie, quod non simul & continuativum, est & terminativum.*

3. *Necessario igitur omnes lineæ, in uno & eodem puncto concurrunt.*

4. *Cumque*

4. *Cumque hoc nullo modo fieri possit, nisi per continuationem; dicendum est, in superficie tantùm esse unam & eandem numerò lineam, variis modis in se reflexam, quasi circumgirantem, & circumdantem totam superficiem.*

5. *Datur igitur in continuo finitæ magnitudinis, linea continens infinitas partes, aliquotas & æquales, inclusa tamen duobus punctis extremis.*

6. *Neque hoc portentosum videri debet, sicut enim inconveniens non est, dari infinitas entitates incompletas, imò infinities infinitas, unam entitatem completam & finitam constituentes: eiusque partes inter se continuantes; ita neque absurdum erit, dari intra magnitudinem finitam, lineam actu infinitam, infinitas partes aliquotas continentem, quæ inter se confusò quodam modò uniuntur, ad componendam finitam magnitudinem.*

7. *Hæc igitur non erit simpliciter infinita, sed tantùm secundum quid, neque claudetur extremis solùm terminantibus, sed etiam continuantibus.*

XV. Substantia ante adventum quantitatis, partes habet entitativas, & substantiales, proprio indivisibili substantiali copulatas.

1. *Sicut igitur partes substantiales, præsupponuntur partibus quantitatis, ita etiam indivisibilia substantialia, indivisibilibus quantitativis.*

2. *Et sicuti partes quantitatis, partes substantiales accidentaliter extendunt, extensione molis, & occupativâ loci, ita etiam indivisibilia quantitativa, indivisibilia substantialia afficiunt accidentaliter, secundum proprium modum indivisibilem, & continuativum partium extensarum secundum molem.*

3. *Indivisibilia igitur quantitativa, adæquatum, & sibi proportionatum subiectum habent.*

XVI. Ante operationem intellectus, albedo dicitur similis, & quantitas æqualis.

1. *Ergo ante operationem intellectus, relatio subiecto inhæret, & formalem, & intrinsecum effectum ei tribuit.*

2. *Et cùm realis inhærentia importet realem distinctionem, inter formam inhærentem & subiectum cui inhæret, (nihil enim potest sibiipsi inhærere) realiter distinguetur relatio, à suo fundamento.*

3. *Positis igitur duobus albis eiusdem speciei, & intensionis, omni aliâ formâ seclusâ, non dicerentur similia.*

4. *Omnis igitur relatio per aliquam novam mutationem in subiecto producetur, distinctam ab ea, per quam producitur fundamentum, si non propriè dictam, saltem talem, qua subiectum dicitur nunc sese aliter habere quàm prius.*

5. *A fundamento igitur non distinguitur tanquam res à re, sed tanquàm modus eiusdem, ideoque potius ex natura rei, quàm realiter, est enim relatio veluti appendix & propago quadam substantiæ.*

6. *Minùs igitur distinguuntur substantia & relatio, quàm duæ substantiæ.*

XVII. Actio & passio sunt idem numero motus, qui actio dicitur, quatenus ad agentem respectum denotat, à quo procedit, passio autem, quatenus patientem respicit, in quo recipitur.

1. *Actio igitur, passio, & motus realiter non distinguuntur, sed solum ratione.*

2. *Hæ igitur prædicationes,* actio est motus, passio est motus, *identicè & realiter, veræ sunt, at formaliter falsæ.*

3. *Motus non est communis actioni & passioni, cõmunitate specificâ aut generica, sed communitate subiecti, nam* esse ab alio, *aut* in alio, *rationes sunt, quæ motui tanquàm subiecto inhærent.*

1. *Omnia igitur hæc tria sunt* via in terminum, & fieri termini, *sed cum hoc discrimine, quod actio, tanquam via per quã procedit ab agente, terminum respiciat: quod est eum respicere sub ratione formali effectus passio verò eum respiciat, tanquam via & fieri eiusdem, ut impressi passo ab agente: motus denique, tanquam actum perfectum, in quem tendit mobile, ut potentia eius compleatur.*

2. *Motus itaque non potest abstrahi à ratione incompleta, id-est ita actuali, ut subiectum ordinet in ulteri rem actum, non ita actio & passio, hæc enim, solam effectus receptionem in passo denotat, illa verò, egressionem formalem effectus ab agente quæ rationes nihil incompletum denotant.*

3. *Meritò igitur actio & passio, duas categorias per se constituunt, motus verò tanquam quid essentialiter incompletum,*

in

in nullo prædicamento est per se, sed reductivè in categoria sui termini collocatur.

XVIII Denominationes attributi, & subjecti sunt entia rationis.

1. *Esse igitur attributa, & subiecta, componereque enunciationem mentalem, non conveniunt conceptibus ex natura, sed accidunt ex ordinatione intellectus.*

2. *Licet igitur spectatà formali significatione rerum, (conceptus enim significatio, eadem est apud omnes) & formali continentiâ, veritatis & falsitatis, (hæc enim inest conceptui tanquâ subiecto) enunciatio mentalis, ens reale dici potest spectatâ tamen formali denominatione enunciationis, ens rationis est,*

3. *Minùs tamen, quam enunciatio vocalis aut scripta; cum hæ tam respectu significationis, quàm denominationis enunciationis, entia rationis sint, hæc autem, tantùm quatenus enunciatio dicitur.*

4. *Ex dictis sequitur enunciationem in communi non definiendam esse, per significationem veritatis, cum enunciatio mentalis, verum aut falsum non significet, sed formaliter contineat: sed cum* Arist. *definienda est,* Oratio in qua est verum aut falsum, *hoc enim omnibus commune est, in vocalibus enim est veritas, tanquam in signo: in mentali, tanquam subiecto.*

XIX. Accidens facillimè confirmatur, & difficillimè omnium refellitur, non enim in quæstione accidentis, determinatur quo modo attributum insit, *Arist. ad finem cap. ult lib. 7. Top.*

App. Omnis igitur quæstio simplicis inhærentiæ, quæstio accidentis est, sive attributum, sit genus, species, proprium aut definitio, & contra.

XX. An album est accidens hominis, quæstio dialectica est, ut manifestum.

1. *Quæstio igitur accidentis erit, alterius enim, quæstio esse non potest.*

2. *Non igitur omnis quæstio accidentis est, simplicis inhærentiæ.*

3. *Ad tollendam contradictionem, dicendum est, accidentis quæstionem etiam modum inhærendi quærere, non tamen talem, qui*

particulares, & distinctos locos dialecticos requirit, ad eiusdem confirmationem, quique difficiliorem reddat confirmationem accidentis.

4. *Ex iisdem igitur locis confirmatur, attributum ineſſe ut accidens, quibus confirmatur ineſſe ſimpliciter, nam ineſſe ut accidens eſt ſimpliciter inhærere.*

5. *Duo igitur genera quæſtionum comprehendit quæſtio accidentis, unum, cum accidens expreſſe quæritur, alterum, cum ſimpliciter tantùm quæritur inhærentia attributi.*

XXI. Sicut qui appetit media propter finem, non elicit aliquam peculiarem notitiam, quâ videt finem eſſe cauſam appetendi media ſed ſufficit, ſi finem appetat, & ab eo impellatur ad media appetenda; ita qui aſſentitur concluſioni propter principia, non elicit ſpecialem cognitionem, quâ in actu ſignato percipiat præmiſſas eſſe cauſas concluſionis, ſed ſufficit ipſum judicium præmiſſarum, per illud enim non ſolùm cognoſcitur, quod paſsio inſit, ſed etiam quo modo inſit.

1. *Non igitur in propoſitione maiore, aut in concluſione, v. g.* Omnis homo eſt diſcurſivus, *adhibendus eſt hic terminus,* propter animam rationalem, *ut quidam volunt.*

2. *Propoſitio igitur maior omnis demonſtrationis* DICTI, *neceſſaria eſt de* ab alio eſſe, *non de* ineſſe.

3. *Effectus igitur reſpectu cauſæ, externus eſt, licet internus ſit reſpectu ſubiecti.*

4. *Affectio de ſubiecto prædicatur in ſecundo modo* DICTI, *de cauſa autem tantùm in quarto.*

5. *Omnis igitur propoſitio maior demonſtrationis* DICTI *ſi inhærentiam attributi in ſubiecto ſpectemus, per accidens eſt, at ſi proceſſionem effectus à cauſa conſideremus, verè per ſe eſt.*

XXII. Non minus abſurdum eſt, demonſtrare paſsionem impoſsibilem, de ſubiecto poſsibili, quàm paſsionem poſsibilem de ſubjecto impoſsibili.

1. *Non minùs igitur debet paſſio præcognoſci* quod ſit, *quam ſubiectum.*

2. *Non ſolùm igitur* quid ſit, *ſed etiam* quod ſit, *ante demonſtrationem de paſſione præcognoſcendum eſt: cognoſcentes enim*

quod

quod sit, *quærimus* propter quid sit *ex* Arist. 1, cap. lib. 2. de demonstratione.

3. *Dupliciter igitur passio considerari debet, primò ut res quæ dam est, & sic quidem ante demonstrationem, esse præcognoscitur, secundò ut passio est, atque ita tantùm quæritur, & in ipsamet demonstratione inesse ostenditur.*

XXIII. Ratio *sub qua* objecti formalis, quæ habitui aut potentiæ, unitatem ac distinctionem confert, non solùm est una, sed simplicissima, alioquin materialis, non formalis esset.

1. *Licet subiectum scientiæ materiale, genus sit, vel quid generibus universalius, formaliter tamen consideratum, & in esse scibilis, quâ ratione unitatem ac distinctionem scientiæ conferre potest, specificam habet, atomamve unitatem.*

2. *Quælibet igitur scientia, quantùmlibet universalis, una est unitate speciei atoma, imò repugnat scientiam esse unam unitate generica, aut genere à se invicem distingui, etiamsi sub diversis gradibus generalibus contineantur.*

XXIV. Physica, plures habitus scientificos specie distinctos, ut scientiam de corpore æterno & caduco sub se comprehendit, sicut Mathematica, Arithmeticam & Geometriam.

1. *An igitur Physica, specificam aut atomam habet unitatem?*

2. *Ad tollendam contradictionem, tenenda sunt hæc porismata, de unitate scientiarum, totalium* primum, *scientia Physicæ, (par ratio cæterarum) subiectum adæquatum, non est corpus naturale qua naturale, corpus enim naturale qua naturale, adæquatum subiectum est librorum acroamaticorum, sed subiectum adæquatum est, quid actu constatum ex communi ratione generis præcisa à speciebus, & ex speciebus simul.*

2. *Subiectum igitur adæquatum totalis scientiæ, est aggregatum per accidens, quod subiectum scibile esse nequit, nulla enim potest excogitari una ratio formalis, communis generi & speciebus, neque proprietates ullæ, quæ ab hac natura fluerent.*

3. *Unitas scientiæ totalis, non petenda est ab uni-*

tate formali subiecti scibilis, talem enim unitatem, subiectum adæquatum, nullam habet, sed ab unitate abstractionis à materia, quæ non necessariò efficit unam formalem rationem scibilis.

4. *Scientia totalis, non est simplex una aliqua qualitas, sed aggregatio multorum habituum, efficientium unam scientiam, per ordinem ad unam abstractionem.*

5. *Tres igitur sunt scientiæ, Metaphys. Phys. & Mathematica. neque tamen genere aut specie distinctæ, sed tanquam tota integra, talis enim est earum unitas, cui non repugnat, subesse habitus specie distinctos ut in Physica & Mathem. manifestum est.*

XXV. Habitus tendit in obiectum, sub eadem ratione formali qua tendit actus, servata conditione tendentiæ actualis, & habitualis.

1. *Pro unitate ac distinctione scientiæ partialis, hæc porismata, tenenda sunt.*

1. *Actus scientifici cum sint discursivi, semper feruntur in obiectum, propter aliquid motivum, seu rationem assentiendi.*

2. *Scientia partialis, est una specie, quando tota ratio motiva est una, & diversa, quando ratio motiva, ex parte differt.*

4. *Quandocunque vel conclusio materialis, vel medium est diversum, ratio motiva non est omnino eadem.*

5. *Diversarum igitur conclusionem, vel eiusdem per diversa media, non est eadem scientia.*

THESES ETHICÆ.

I.

VIr intemperatus, ambitiosus aut avarus, nunquam in contemplatione perfectè versabitur, sed continuò à variis passionibus distrahetur, qui enim scientias assequi vult, perturbationes animi componere tenetur. *Arist. 7. Phys. text. 20.*

1. *Sicut igitur prudentia, à sapientia recipit principia, & sine ea*

ea, firma ac constans esse non potest: ita etiam sapientia, ad rectum usum sui habitus, & perfectionem suæ actionis, prudentiam exposcit.

2. *Neque igitur prudentia, sine sapientia; neque sapientia sine prudentia; omni ex parte perfecta est, sed mutuo se invicem perficiunt & priores sunt.*

3. *Unus igitur gradus summi boni sine altero consistere nō potest.*

4. *Non igitur ad opposita distrahunt animum sed ad subalternata, nam civilis, purgat & parat pro contemplatione, & contemplativus, dat principia & perfectionem civili.*

5. *Nullus igitur sapiens potest esse vitiosus; neque possumus sapientia male uti*

3. *Gradus igitur moralis, licet gradus sit ordinatus ad contemplativum tanquam ulteriorem, & eodem origine prior sit, secundum esse imperfectum: secundum tamen esse perfectum, neuter altero prior est.*

4. *Fieri tamen potest, ut unus homo magis uni gradui addictus sit, quam alteri, quod oritur vel ex facultate suæ naturæ, vel variis opportunitatibus, instrumentis & aliis hujusmodi externis adminiculis.*

5. *Ex dictis etiam sequitur, sapientiam minus à prudentia dependere, quàm contra, prudentiam à sapientia, cum prudentia sapientium requirit, ut intus constituatur, sapientia verò prudentiam, tantùm ut nos eà melius utamur, idque propter nostram imbecillitatem.*

6. *Vnde est quod ratione ordinis addiscendi, absolutè prior sit Philosophia contemplativa, practica enim ex contemplativa, non contra, contemplativa ex practica principia desumit.*

11. Ἀρ' ὦν πᾶς, ὁ μηχέτι, ἃ δεῖ πρᾶξαι, ἢ ὧν διὰ ἀφικτέον; καὶ διὰ τὴν τοιαυτηγορίαν ἀδικοι καὶ ὅλως κακοὶ γίγνονται Arist. 1. lib. Eth.

1. *Sicut sapientia principium & causa est prudentiæ & virtutis, ita ignorantia, vitij.*

2. *Sapientia igitur, prudentiâ præstantior est, & ignorantia, vitio deterior.*

3 *Licet igitur proximè & formaliter, à virtute probi, & à vitio improbi, denominemur, modo tamen imminentiore, ac tanquam principia, ignorantia & sapientia nos probos & improbos reddunt.*

4. *Et hinc est quod ratione originis, ignorãtia nobis familiarior sit quàm vitium, & difficilius sit absolutè liberari ab ignorantia quam à vitio, licet ratione propensionis, vitium sit familiarius, arctiusque nobis inhæreat.*

III. In summo bono, nihil debet esse diminuti.

1. *In summo igitur suo splendore, tam bonorum fortunæ, quam naturæ, copiam requirit: siquidem minimum bonum ei adiunctum, ipsum reddit optabilius.*

2. *Dives igitur agens secundum virtutem, multò fœlicior est paupere & viri, fœminis.*

3. *Sicut probitatis & potestatis fœliciſſima est coniunctio, ita improbitatis & virium, deterrima, unde infœliciſſimus est dives qui naturæ & fortunæ bonis abundat.*

IV. Pulchrum & bonum differunt, nam bonum in actione, pulchrum in immobilibus reperitur, principales enim ejus species sunt, ordo, commensuratio & definitum, *Ariſt. Metaph. cap. 3.*

1. *Subiecto igitur distinguuntur, bonum & pulchrum, cum hoc, in Mathematicis, illud verò, in moralibus actionibus reperiatur.*

2. *An non igitur pulcherrimum, optimum, & iucundiſſimum? quod tamen negat Philosophus,* cap. 8. 1. Ethic.

3. *Dicamus igitur hæc tria (si sumantur pro excellentia, & suprema perfectione, solá ratione non subiecto secerni, at si latè & cum diminutione usurpentur, subiecto & re distingui posse.*

V. Diminuta valde esset ejus viri conditio qui fœlix esset, & non perciperet se esse fœlicem, miser enim est (dixit *Seneca,*) qui se beatum esse non iudicat, licet mundo imperet: & non est beatus, qui se beatum esse non putat.

1. *Cum itaque in summo bono nil diminutum inveniri debeat, homo non potest esse fœlix, & non percipere se esse fœlicem.*

2. *Ergo legè contrariorum miser debet suam miseriam percipere, non enim miseriæ est, carere & non expetere, sed in appetitione miseria consistit.*

3. *Longè igitur deterius & molestius est, hominem expertum esse prosperam fortunam, & mox eâ privari, quam eam nunquam expertum fuisse, possessio enim exactiorem pariens cognitionem, exactio-*

exactiorem quoque parit appetitum.

4. *Potest igitur aliquid absolute deterius esse, quod pro eo tempore quo homo eo privatur, deterius non est.*

VI. Voluptas semper oritur ex aliquo bono, nam voluptate afficimur propter aliquod bonum, & quo majus est bonum, eo magis voluptate afficimur.

1. *Voluptas igitur omnis, propter aliud expetitur, & ad aliud dirigitur.*

2. *Non igitur actio ad voluptatem, sed voluptas ad actionẽ dirigitur, nullus enim rectè agit, ut lætetur, sed lætatur, ut honestè agat.*

3. *Licet natura nos ad voluptatem apertè proclives reddat, non tamen ut in ea persistamus, sed simul latenter ad præstantius nos dirigit.*

4. *Qui igitur in voluptate persistunt, naturæ ordinem invertunt, & iumentorum vitam vivunt.*

1. *Si quis summâ lætitiâ affectus est, ob summum bonum lætitiâ affectus est.*

2. *Hinc manifestum est, naturam & essentiam voluptatis everti, si eam dicamus esse summum bonum. Summum enim bonum insequitur summa voluptas, tanquam eiusdem comes & affectio, ideo dixit Philosophus* cap. 8. lib. 1. Ethic. Ὁ βίος αὐτῶν καθ' αὑτὸν ἡδὺς δεῖ εἶναι προσδεῖται γὰρ ἡδονῆς ἐξ ὑπαρχῆς τοῦ.

3. *Miseriæ igitur comes erit dolor, vel quia voluptates improborum, veræ non sunt, vel quia eorum actiones sæpissimè comitatur dolor vitii, & conscientiæ, & pœna etiam à magistratu inflicta.*

VII. Τὸν ἡδονὴν μὴ δι' ἕτερον, μηδ' ἕτερα χαρὶν αἱρούμεθα, καθεὶς γὰρ ἰρωτῶ, τοῦ ἕνεκα ἡδεται. Arist. cap. 2. lib. 10. Ethic.

1. *Nulla igitur voluptas, alterius gratiâ expetitur.*

2. *Sicut omnis voluptas ad aliud dirigitur, ita nulla alterius gratiâ expetitur, & sicut omnis habet finem,* cui, *ita nulla finem* cujus.

3. *Non igitur omne illud quod tantùm sui gratiâ expetitur, est summum bonum.*

VIII. Difficilius est mutare genus, quàm speciem sub genere.

1. *Facilius avarius transit in prodigum, quàm liberalem.*

2. *Dabitur igitur transitus ab extremo in extremum, absque medio.*

3. *Præceptum Philosophi*, cap. 9. lib. 2. Ethic. *de inveniendo medio, tenet tantùm de medio quod ab ipsis extremis specie & naturâ non differt, sed solum per maius & minus.*

4. *Si quis igitur ex natura ad prodigalitatem pronus, inclinet ad avaritiam à qua ex natura sua maximè alienus est, incidet fortasse in mediocritatem quandam, quæ tantùm per maius & minus differt ab extremis, non tamen in ipsum habitum virtutis.*

IX. Honorem ob id persequuntur homines, ut persuadeant seipsos bonos esse. *Arist. cap.* 5. 1. *Ethic.*

1. *Honor igitur est signum virtutis, & ob virtutem expetitur.*

2. *Qui per se honorem expetunt, honorem nunquam assequentur, honoris enim naturam pervertunt, & se honore indignos esse ostendunt, contra, qui honorem negligunt, soli honorem consequuntur.*

3. *Honor igitur cum sit bonum propter aliud expetibile, laudè tantùm dignus habetur.*

4. *Longè igitur differunt, honorem esse laudè dignum, & res honore dignas, laudè dignas esse.*

X. Honor ad solam actionem probam, & vituperium ad injustam & improbam refertur.

1. *Solùm igitur lædi potest honor per vitiosas actiones, non per iniuriæ receptionem.*

2. *Quàm fatua igitur est vulgaris opinio, per quam illi qui læduntur, dicuntur honorem amisisse, & illum tum demum recuperasse, dum parem vel maiorem iniuriam ei intulerint, cum potius iniuriam inferentes, seseipsos honore privent.*

3. *Singulare igitur certamen, quod pro recuperando vel servando ciuili honore frequenter suscipi solet, ab hominis conditione maximè alienum est, & summopere pugnat cum principiis & fundamentis honoris, cum neque homo iniuriâ affectus, honore privatur, neque robur corporis, est legittimum testimonium honoris, aut veritatis.*

4. *Depravata igitur illa singularis certaminis consuetudo, ex eo emanavit, quod hominum multitudo, magna ex parte destituta virtute animi, ad quam pertinet verus honor, vitam sensuum viventes, solamque corporis virtutem cognoscentes, per eam falsò putarunt mensurari absolutam virtutem hominis, atque ita*

ita per inferiores gradus formarunt ſuperiores, cum tamen contra, teneantur per ſuperiores, inferiores formare ac corrigere.

XI. Vnuſquiſque pro varietate vitæ quam vivit, ſollicitus eſſe debet, pro proprio honore ſui gradus ac ordinis

1. *Vir probus, ſuâ virtute civili niti debet, aliis eminere, atque ita veluti ſuis armis pugnare, & artifex rectè efficiendo opus ſuum, alterum artificem niti debet ſuperare, ſimiliter in cæteris vitæ gradibus.*

2. *Eſt igitur ſingulare certamen, naturæ conſentaneum, cœtui hominum utile, Deo gratum, ſi ad ea ſolùm extendatur quæ ſunt eiuſdem gradus, & ſi fiat per actionem propriam, & arma propria ad eum ſolùm gradum pertinentia.*

3. *Vnde ſi homo conſideretur ut opus naturæ, quia per naturam recipit eſſe, & facultates ſe tuendi, tenetur ſe pro viribus tueri, & vim vi repellere, & quicunquè illud non præſtat, legi & honori naturæ adverſari dicitur, ſimiliter dum conſideratur ut miles, vel athleta, alteri ſuccumbere non debet, ſic enim privatur honore militis.*

4. *Et ſi aliquis ita læſus fuerit, & voluerit ſe ab ea dedecoris notâ liberare, non poteſt id efficere per alterius ſubmiſſionem, aut humilitatem, ſed ad aliquod naturæ certamen confugere debet, (de honore enim naturalis erat) ut ſe tam potentem & alteri viribus æqualem patefaciat.*

5. *Verùm cum homo ſit quid mixtum, in quo varii gradus inveniuntur, tenetur ſemper per ſuperiores gradus, inferiores formare ut per attinentia ad gradum civilem, formare attinentia ad gradū naturæ, & per attinentia ad gradum divini honoris, formare debet attinentia ad mores & naturam, præſertim cum inferiores ſine ſuperioribus, non reverà, ſed æquivocè tantùm honores ſint, non enim reſpiciunt propriam virtutem cuius honor præmium dicitur.*

THESES PHYSICÆ.

I.

Ἔστι δ' ἡμῖν τὸ πρῶτον ὅλα καὶ σαφῆ, τὰ συγκεχυμένα μᾶλλον τὸ δὲ ὅλον ἔστι τῶν αἰσθητῶν γνωριμώτερον. Arist. 1. Phys. cap. 1.

1. *Genus quâ totum potentiale, ſuâ ſpecie; ſpecies, quâ totum*

 defini-

definibile, suo genere, nobis notior erit.

2. *Aliquid igitur nobis notius erit, non quia sensibus propinquius est, sed quia magis confusum est.*

3. Arist. 1. poster. cap. 2. *Definiens* nobis notius, *esse illud quod sensibus propinquius est, &* natura notius, *quod ab ipsdem remotius est, neque formalem rationem* notioris naturâ *neque adæquatam rationem* notioris nobis, *attigit.*

4. *Universaliter igitur nobis notius est, quod magis confusum aut magis sensile est, cognitio enim nostra à sensibus originem ducit, & ab imperfectioribus magisque confusis, ad perfectiora magisque exacta transit; naturâ autem notius dicetur, quod paucioribus eget ut intellectui repræsentetur, seu quod in* cognosci *ab aliis non dependet, huiusmodi enim ex naturâ sua magis cognoscibile est.*

5. *Hinc patet nobis & naturâ notius non opponi, sed tantùm formales rationes diversas habere quæ quandoq; coincidere possunt.*

II. Præter partes & unionem nulla nova entitas aut modus excogitabilis est in toto.

1. *Partes igitur simul sumptæ & unitæ, ab ipso toto neque realiter, neque ex natura rei distinguuntur.*

2. *Partes itaque collectæ & unitæ, non sunt causa totius, licet tantùm causent dum uniuntur.*

3. *Partes divisim unitæ seu una considerata in ordine ad alteram, veram exercent causalitatem, non tamen collectim unitæ, & licet simul causent, & in eodem momento, non tamen simul acceptæ.*

4. *A partibus igitur sic divisim unitis, totum realiter distinguetur, ab iis autem collectim unitis tantùm ratione.*

5. *Quecunque igitur de toto verificantur, verificari etiam possunt de ipsis partibus collectim unitis, licet non formaliter propter distinctionem rationis, in sensu tamen identico, propter identitatem realem.*

III. Πασα κινησις, εν τινι εστι ετερον γαρ το πρωτον κινουσαν, και εις ο κινειται, και εξ ου Arist 5. Phys Textu. 4.

1. *Tria igitur tantum statui debent principia generationis, subiectum viz. & duo termini.*

2. *Efficiens tantum necessaria est ad generationem, ut actiu est,*

forma

forma autem corrumpenda, non omnino ex intrinseca ratione generationis, sed tantum propter ordinem naturæ, seu naturam materiæ.

3. *Ergo privatio, prout particularem potentiam ad determinatam formam denotat, qua ratione ab* Arist. text. 15. 2 phys. *forma dicitur, principium intrinsecum generationis non est.*

4. *Solùm igitur, prout formaliter denotat, nudam formæ absentiam.*

5. *Si igitur in materiam nudatam omni forma substantiali, introduceretur forma ignis, vera esset generatio.*

6. *Generatio essentialiter, est mutatio inter duos terminos, contradictorie oppositos.*

7. *Si igitur intrinsecam rationem generationis spectemus, ex quolibet potest fieri quodlibet.*

IV. Forma materialis non habet propriam subsistentiam, sed inhæret materiæ.

1. *Ergo per quam actionem educitur de potentia materiæ, per eandem materiæ inhæret.*

2. *Et cum eadem actio, sit inhæsio formæ in materia, & unitio eiusdem cum materia (non enim potest inhærere materiæ, nisi uniatur,) per quam actionem educitur de potentia materiæ, per eandem ei unietur.*

3. *Per unam igitur & eandem numero actionem, educitur forma de potentia materiæ, eidem inhæret, cum ea unitur, & fit compositum, neque in generatione ponendæ sunt plures actiones partiales. realiter distinctæ.*

4. *Licet igitur forma, compositum, & modus unionis, sint entitates realiter distinctæ, non tamen requirunt distinctas actiones per quas producuntur, cum solùm compositum habet esse per se.*

5. *Quia tamen prius naturâ est, formam educi de potentia materiæ quàm eidem uniri aut compositum fieri, eadem hæc actio quatenus formæ productiva, prior seipsâ est quatenus unitiva.*

V. Forma, seipsam non appetit, quia sui non est indiga. *Arist. text.* 81. *lib.* 1. *Phys.*

1. *Omnis igitur appetitus, est rei absentis, & ab indigentia boni, si non causaliter, saltem occasionaliter causatur:*

2. *Vide est quod pro duplici appetitu materiæ, duæ sunt ponendæ negationes in materia, una, generalis omnium formarum, quæ prior est appetitu universali saltem quoad nos, altera, particularis, quæ præcedit appetitum particularem tanquam eiusdem causa vel occasio.*

3. *Materia igitur non appeteret formam præsentem, nisi eâdem destituta esset.*

4. *Omnis igitur appetitus materiæ, appetitus desiderij dici potest.*

VI. Gravia & levia tantum habent in seipsis, passivum principium motus naturalis, *Arist. 8. Phys. text. 32.*

1. *Ergo forma, non solùm activum, sed & principium passivum est motus naturalis; activum, quatenus forma, passivum, quatenus forma in materia.*

2. *Propterea sola forma est natura.*

3. *Materia igitur per se, natura non est, sed solùm quatenus potestatem habet recipiendi formam, quæ est ipsa rei natura, siquidem unius rei, duæ distinctæ naturæ esse non possunt.*

4 *Materia itaque dicitur natura, non secundum se, ut altera natura à forma distincta, sed ut eadem forma: quidem, natura actu & primariò, materia verò, eadem natura sed potestate & secundariò, materia enim idem est potestate, quod forma est actu.*

5. *Atque hâc ratione materia etiam dici potest principium passivum motus naturalis, non tamen à forma distinctum, materia enim per formam determinata, & forma quatenus materiam determinat, non duo constituunt principia, sed unum.*

VII. Τὸ δὲ τὸ πέρας τῦ περιέχοντος σώματος: λέγω δὲ περιέχον σῶμα τὸ κινητὸν κατὰ φορὰν. *Arist. 4. Phys. text. 39.*

1. *Sola igitur latio ad locum terminatur.*

2. *Sicut igitur corpus cœleste quâ æternum, non exposcit locum, qui sit conservativus locati ita neque quà mobile in orbem, superficiem corporis ambientis, ulla ratione requirit.*

3. *Si igitur motus eius nullatenus dici possit φορὰ, nullâ ratione in loco esset, nec actu, nec potentiâ; nec per se, nec per accidens.*

4 *Cum igitur ex* Arist. 4. Phys text 45. *cœlum dicatur potentiâ, & per partes esse in loco, etiam ratione partium erit* κινητὸ, κατὰ φορὰν

5. *Mo-*

5. *Motus igitur partium, non erit purè circularis, ſed quaſi miſtus ex recto & circulari, de recto participans quod ſit mutatio præſentiarum; de circulari, quod hæc mutatio fiat per circumvolutionem, & æquidiſtantiam à centro.*

6. *Sicut partes ratione totius moventur circulariter, atque ita locum non mutant, ita totum ratione partium, movetur* κατα ροεσι, *ac præſentiam ad ubi, continuo mutat.*

7. Ariſt. *igitur aſſerens* text. 32. 4. Phyſ. *Partes tantùm per accidens moveri ad motum totius &* text. 44. *Partes tantùm eſſe in loco potentiâ; intelligendus tantùm eſt, de toto & partibus, dum idem eſt totius & partium motus, atque idem ſpecie locus, non autem dum hæc quodammodo diverſa ſunt.*

VIII. Motus quatenus eſt tendentia continua, ſucceſsiva, ab uno termino in alterum, extenſionem habet quam accipit à latitudine graduali ſui termini.

1. *Motus igitur ex ſe numerabilis eſt, ſecundum partes priores ac poſteriores abſque ulla extenſione durationis aut morâ temporis.*

2. *Tempus igitur formaliter, non eſt numerus motus ſecundum prius & poſterius.*

3. *Definitio temporis, cauſalis, non formalis eſt, ex diſtinctione enim partium motus, cauſantur partes priores & poſteriores durationis, ex quibus formaliter tempus conſtat.*

4. *Longè igitur aliud eſt tempus eſſe extenſum* per aliud, *&* per accidens, *cum tempus propriam partium extenſionem ſecundum durationem, à ſe formaliter habeat, licet eam effectivè accipiat à mobili & à motu tanquam cauſatione.*

IX. Dum calor intenditur in manu, talis motus eſt continuus, & ſucceſsivus partes habens copulatas communi termino *mutatum eſſe*, per quem acquiritur gradus indiviſibilis caloris, ſicut per partes motus acquiritur pars gradualis intenſionis.

1. *Ergo non ſolùm qualitates habent partes extenſionis, quas recipiunt à partibus ſubiecti, & ſucceſſivas quas recipiunt a motu, ſed etiam à ſe habent partes intenſionis, propriaque indiviſibilia, quibus eadem copulantur.*

2. *Et præter compoſitionem ex genere & differentia, aliam habent entitativam & quaſi ſubſtantialem, per quam conſtituuntur*

tur in ratione totius integrâlis.

3. *Indivisibilia igitur caloris, non solum realiter sed naturâ & modo essendi, ab indivisibilibus motus distinguuntur, hæc enim naturam & esse habent in successione & fluxu consistens, illa verò naturam & esse permanens, sicut partes caloris quas copulant.*

4. *Motus igitur nec continuatur, nec terminatur, per indivisibilia termini.*

5. *Appellatione igitur nimis materiali indivisibilia termini, dicuntur* mutata esse motus, *cum per* mutata esse, *indivisibilia termini acquirantur.*

X. Πασα κινησις ὀση κατα τοπον ἐν πολλαχῇ φορα, ἡ ἐυθεια, ἡ κυκλῳ, ἡ ἐκ τούτων μικτη ἐστι, ἁπλαῖ γὰ ἀυται δυο μόναι, ὁτι τα μεγίστη ταῦτα ἁπλᾶ μόνα, ὁτι ἐυθεια ἡ ἡ περιφερης. Arist. de cœlo text. 5.

1. *Simplicitas igitur motus secundum essentiam, ex simplicitate lineæ desumenda est.*

2. *Omnis igitur motus sive corporis simplicis, sive mixti, sivè naturalis, sive violentus, motus simplex est, modo fiat super lineam simplicem.*

3. *Mistorum igitur motus naturalis, absolutè simplex est, & mixtus tantùm πῶς, ex* Arist. text 7. ejusdem lib. *Si nimirum simplicitatem principij & mobilis spectemus, quæ ad essentiam simplicis motus non spectant.*

4 *Solus igitur motus animatorum, est motus mixtus naturalis.*

XI. Natura nihil facit frustra.

1. *Nulla igitur corpori concessa est naturalis inclinatio, quam naturaliter exercere non potest.*

2. *Cum itaque cœlum sit incorruptibile, & nulla eius pars naturaliter ab eo separabilis sit, nulla naturalis inclinatio cœlo conceditur, quâ in suum locum rediret, si semel ponatur extra eum.*

3. *Si igitur cum* Arist. cap. 3. lib. 2. de cœlo, *supponamus aliquam cœli partem ab eo divulsam, & in loco aliquo inferiori constitutam, inde non moveretur naturaliter ab extrinseca intelligentia, neque si moveretur, motus eius violentus esset.*

4. *Maneret igitur immobilis, quies tamen neque naturalis, neque violenta esset, sed præter naturam.*

5. *In eo igitur loco & quiesceret præter naturam, & inde*

non

non moveretur, niſi prater naturam.

6. *Non igitur quicquid eſt extra ſuum locum naturalem, violentia ibi detinetur.*

7. *Et cum motus & quies eodem modò ſe habent, reſpectu eiuſdem corporis, cui conveniunt, ita ut ſi violenta ſit quies etiam & motus, & contra; motus, quo pars hæc, ad centrum deſcenderat, violentus non eſſet, etiamſi per eum ſepararetur à propria ſede naturali.*

8. *Ubi igitur ſupremum, cœlo, aut parti eiuſdem naturale non eſt, ut conſequendum per motum ex aliqua inclinatione naturali, ſicut terræ naturale eſt centrum, ſed naturale ſolum dicitur, quia congruit dignitati ac nobilitati naturali eiuſdem.*

XII. Materiæ ejuſdem ſpecici, capacitatem, potentiam & appetitum habent ejuſdem rationis, hæc enim ſunt ipſimet materiæ eſſentia.

1. *Si igitur materia orbium cœleſtium eſſent eiuſdem ſpeciei, materia unius orbis, in potentiâ eſſet ad formam alterius orbis recipiendam, atque ita non poſſit ſervari incorruptibilitas cœlorum.*

2. *Et cum formæ eiuſdem ſpeciei, eundem habent modum informandi, ideoque eandem ſpeciem materiam, ſi orbes cœleſtes eiuſdem eſſent ſpeciei, neceſſariò quoque eſſent corruptibiles.*

3. *Omnes igitur ſphæræ cœleſtes, omneſque partes diſcontinuæ, ſpecie & non ſolo numero inter ſe diſtinguuntur.*

XIII. Surſum eſt *unde eſt motus accretionis*, dextrum *unde eſt motus localis*, ante *ad quod eſt motus alterationis ſenſuum* Ariſt. 2. de. cœlo text. 8.

1. *Surſum igitur, deorſum, ante & pone, in cœlo, quod accretionis & alterationis capax non eſt, nullam analogiam ab intrinſeco denotant, cum his differentiis in viventibus.*

2. *Polus igitur antarcticus ſurſum ſolum dicitur, quia oriens pars dextra eſt*, 2. de cœlo text. 15.

3. *Dextrum igitur & ſiniſtrum cæteras omnes differentias poſitionis in cœlo determinant.*

4. *Dextrum & ſiniſtrum, prius inſunt cœlo quàm ſurſum deorſum, ante aut pone.*

5. *Surſum igitur & deorſum, non ſemper ſunt primæ differentiæ poſitionis, etiamſi reſpondeant longitudini, quæ prima dimenſio eſt.*

6. *Non igitur ſimpliciter ordo harum differentiarum petendus eſt, à dimenſionibus quibus reſpondent.*

7. *Sed ſicut ante, & pone, quæ reſpondent profunditati, in animalibus præcedunt dextrum & ſiniſtrum, quæ reſpondent latitudini, ita etiam dextrum & ſiniſtrum, in cœlo præcedere poſſunt ſurſum & deorſũ, etiamſi hæ, lõgitudini; illæ, latitudini reſpondeant.*

XIV. Materia prius reſpicit formas ſubſtantiales, poſteà accidentales, 7. *Metaph. text.* 8.

1. *Omnia igitur accidentia quæ in materia generantur, præſupponunt in materia formas ſubſtantiales, per quas materia redditur ens actu, atque ita idoneum ſubiectum accidentium.*

3. *Forma ſubſtantialis licet ad materiam non requiratur tanquam concauſa receptionis paſſiuæ in eodemmet genere cauſæ, neceſſariò tamen requiritur tanquam cauſa formalis, per quam habilis redditur ad ſuſtentanda accidentia quæ in eo generantur.*

3. *Vnio igitur ſubſtantialis, cauſa eſt unionis accidentalis.*

4. *Eâ igitur diſſoluta, & altera diſſolvetur neceſſario.*

5. *Non manet igitur eadem numero qualitas ſymbolica, in permutatione unius elementi ſymbolici in aliud ſymbolicum, & tot qualitates corrumpuntur, in generatione unius ſymbolici, ex altero ſymbolico quot in generatione unius aſymboli ex aſymbolo.*

6. *Non igitur difficilius inter ſe permutãtur duo ſymbolica quàm aſymbolica, quod plures qualitates in illa quàm in hac, corrumpendæ ſunt; ſed quod plures per ſe corrumpendæ ſunt: nam ex qualitatibus per ſe corrumpendis, quarum ratione elementa pugnant inter ſe, facilitas aut difficultas generationis deſumenda eſt, non autem ex corrumpendis per accidens ratione ſubiecti, quarũ ratione non pugnat.*

7. *Non igitur manet eadẽ numero cicatrix in cadavere, quæ prius fuit in viuente, licet ſenſus ita iudicet, cum ſenſus circa obiectum commune (cuiuſmodi eſt unitas aut diverſitas numerica) etiam debitè approximatum errare poſſit.*

XV. *Motus eſt de ſubiecto in ſubiectũ*, generatio *de non ſubiecto in ſubiectum*, ſed per accidens etiam *de ſubiecto in ſubiectum.*

1. *Formaliter igitur & per ſe, generatio tantum generatio eſt, per accidens autem, & conſecutionem ſolum alterius corruptio.*

1. *Ergo in generatione quatuor poſſunt conſiderari termini, in motu autem tantum duo.*

2. *Propterea generatio unius*

2. *Ergo*

2. *Ergo fieri potest quod generatio unius nõ sit alterius corruptio.*

3. *Quod igitur unius generatio semper sit alterius corruptio, & contra, non est ex natura generationis, sed ex natura materiæ primæ, quæ nudata omni forma esse non potest, neque duas specificas simul retinere.*

est interitus alterius non tamen accretio unius est alterius diminutio.

3. *Proprium igitur erit generationis, ut contradistinctæ á motu, quod unius generatio sit alterius corruptio, & contra.*

4. *Ita ut si prædictæ mutationes considerentur ut generationes secundum quid, idem in iis locum obtinere possit.*

XVI. Quantitas permanens post diminutionem, neq; absolute qua quãtitas, (sic enim diminutioni præexistebat) neq; qua minor est (sic enim relationem denotat) neq; qua modum essendi completum acquirit, (sic enim post diminutionem per accidens resultat) diminutionem per se terminare potest.

1. *Nullus igitur est positivus terminus ad quem diminutionis, sed diminutio formaliter tendit in non esse quantitatis, nullo habito respectu maioris minoris aut inæqualis.*

2. *Diminutio igitur est in ea classe mutationum, quæ sunt de subiecto in non subiectum.*

3 *Essentialiter igitur à corruptione non distinguetur sed solùm tanquã partialis motus à totali, qua distinctio solùm accidẽtalis est, sicut totum à partibus accidentaliter tantum distinguitur.*

4. *Propter hanc tamen accidentalem distinctionem explicatam per connotatum diminutionis, sortiuntur diversa nomina, neq; corruptio diminutio, aut contra, diminutio corruptio dici potest, diminui enim tum solùm res dicitur, quando aliquid quãtitatis deperdit aliquid retinet.*

5. *Et propter hũc ordinẽ ad minorẽ quantitatẽ, diminutio inter motus, corruptio inter mutationes, ab Arist. 5. Ph. numerãtur.*

2 *Et cum contrariorum contrariæ sunt conditiones accretio formaliter à nõ esse ad esse quantatis tendet.*

3. *Nullus igitur motus, ad quantitatem sive maiorem, sive minorem sive æqualem partirevarandæ, ab accretione essentialiter distinguitur, hæ enim differentiæ essentiam non mutant.*

4. *Quia tamen diminutio ordinem denotat ad minorẽ quantitatem permanentem, ita etiam accretio ad maiorem acquisitã.*

5. *Et propter hunc ordinem, quem ad quantitatem permanentem & acquisitam, hæ duæ mutationes denotant, sit quod licet in iis considerari possint quatuor termini, non minus quam in generatione ac corruptione, unius tamen accretio alterius dimi-*

nutrio duci non potest aut contra.

XVII. Quantitas materiæ coæva est & ab ea inseparabilis.

1. *Aggeneratio igitur & unitio materiæ, necessario est aggeneratio, & unitio quantitatis.*

2. *Nutritio igitur & accretio simul fiunt, & in eadem duratione.*

3. *Licet itaque vivens in prima sui generatione determinatum & intrinsecum requirat terminum suæ parvitatis, non tamen in nutritione, quæ præsupponit animam introductam in corpore, sub debita quantitate & proportione omnium membrorum.*

4. *Dabitur igitur mutatio substantialis ex sua natura successiva, si non ratione formæ acquirendæ, saltem ratione subiecti, sicut ex* Arist. lib. de sensu & sensili, *datur aliqua alteratio (cuiusmodi est coagulatio lactis) quæ ratione subiecti, sit instantanea, & tota simul, licet ratione formæ omnis sit successiva.*

XVIII. Si ligna separatim comburantur generatio ignis est, si autem igni apponantur, accretio ignis dicitur, *Arist. 1. de ortu text. 39.*

1. *Ergo eadem mutatio ad varia subiecta relata, varia fit.*

2. *Sic nutritio ad sanguinem relata,* interitus, *ad carnem,* generatio, *ad totum verò neutra, sed nutritio dicitur.*

3. *Nutritio igitur quà compositum respicit. sub nulla mutationis specie formaliter comprehenditur.*

4. *Non est igitur necesse ut omnis mutatio sub ea denominatione quam ex connotato habet, sub aliqua specie motus comprehendatur, sicut liquet ex nutritione, accretione, & diminutione.*

XX. In rarefactione nulla pars substantiæ de novo acquiritur, neque in condensatione aliqua deperditur.

1. *Ergo neq; acquiritur ulla nova quantitas partialis aut totalis.*

2. *Potest acquiri maior extensio partium in ordine ad locum, absque nova accessione quantitatis.*

3. *Licet igitur extensio partium in ordine ad locum, absolute proveniat à quantitate, non tamē maior extensio à maiore quantitate.*

4. *Verùm cum eadem causa invariata, perfectiorem effectum producere non posset, & omnis varietas penes relationes, præsupponat mutationem in fundamento, quantitas per raritatem maior fiet, si non entitative, saltem extensive.*

5. *Actualis igitur extensio in ordine ad locum, dupliciter variari potest, vel secundum additionem partium, quemadmodum va-*

riatur per accretionem, vel per diversum modum secundum eas-dem, quem per raritatem acquirit.

6. Quantitas igitur eadem numero intendi & remitti potest, non tamen per propriam intensionem, cum contrarium non habeat, sed per intensionem raritatis eam afficientis, & augentis extensionem eiusdem.

XXI. Εἰ δὲ τὸ ἀλλοιοῦν ἢ αὔξον τὸ ποσὸν ἐστί, ἔν τῳ ποσῷ αὐξήσει ἀλλοιοῖ, οἷον ἀναγκη, ἢ τὸ ἥμισυ ἐν ἡμίσει, ἢ ἐν ὑμίσει ἡμίσυ, ἀλλ' οὐδέν, οὐδ' ἕτοιχει ἀλλοιώσει, οὐ αὐξήσει, ὥσπερ ὅση τῶ βαρὺς. Arist. lib. 7. Phys.

1. Integra igitur causa, cur agens & patiens in se mutuo agant, non est potentia quam utrumque ad alterius impressionem recipiendam denotat, licet hac necessariò requiratur, sed praeterea requiritur proportio, inter unius activitatē & alterius resistētiā.

2. Non igitur omne actu tale, applicatum ad illud quod est potestate tale, in illud necessariò aget.

3. Non igitur repugnat dari actionem absque reactione.

XXII. Iris & prodeuntia ex reflexione, non sunt mistū imperfectum, distinctū à vapore, sicut neque venti, aut terræ motus.

1. Quædam igitur meteora, non minus simplicia corpora sunt, quàm ipsi duo halitus, qui sunt eorundem materia.

2. Meteora non sunt imperfecte mista, ex duobus halitibus tanquā principiis materialibus, & propriis formis substantialibus composita, sed tantum halitus huiusmodi aliquid perpessi.

3. Est igitur meteorum, nihil aliud quam halitus aut aliquid ex halitu proxime genitum, conditione sibi propria praditum, per quam distincto nomine, ab eo elementi aut halitus, distinguatur.

4. Atq; hac ratione compositiora dici possunt halitibus, tanquam suis principiis, non aliqua compositione substantiali sed accidentali.

5. Est igitur omne meteorum, accidens, quod aperte profitetur Philosophus 1. cap. 3 Meteor.

XXIII. Διαφανὲς δέν, ἀοράτον, ἢ ἀχρὸν, φύσεικὸν ἢ τῶν χρωμάτων. Arist. lib. 2. de anima text. 71.

1. Ergo omne invisibile privative, est perspicuum, & in genere visibilium solùm perspicuum est invisibile.

2. Cum itaque habitus & privatio, circa idem versentur, omne visibile, etiam perspicuum erit.

3. Eiusdem igitur naturæ sunt lux, perspicuitas, & Albedo, imo omnis color qua visibilis est.

4. *Similiter igitur tenebræ & nigredo eiusdem naturæ erunt, & sicut tenebræ sunt privatio lucis, ita nigredo albedinis. sicut aperte testatur* Philosoph. 3 lib. *Meteor.* in tractatu de iride.

XXIV. Τετὰρτη τροφὴ, ποιεῖ τὰ λοιπὰ ὄντα χρώματα ἐ ἰσχνὰ χρώματα. Arist. 3. de anima text 18.

1. *Ergo lumen est forma coloris.*

2. *Necessarium igitur est lumen ad visionem, non solùm ex parte medij, & organi, sed & obiecti, absque quo color non esset motivus perspicui.*

3. *Cùm igitur lumen sit imago & species lucis, nihil videtur nisi quà lux est.*

4. *Lumen itaque in corpore terminato receptum migrat in naturam lucis, & fit visibile ut* quod. *nam simul cum colore corporis movet visum tanquam color unus.*

5. *Primum igitur visibile est* lux, *& reliqui colores visibiles tantùm per participationem lucis, ideoque meritò obfuscata, & exstincta lumina dici debent.*

6. *Licet color per se visibilis sit, non tamen absque ope & auxilio alterius, non quidem tanquam subiecti prioris, sed tanquam rationis visibilitatis.*

XXV. Ἐστι μὲν ὁ τοιοῦτος τοῦ πάντα γινώσκειν, ὁ νὸς, τοῦ πάντα ποιεῖν, ὡς ἕξις τις οὖσα, τὸ φῶς, πρόπον γὰρ τινὰ τὸ φῶς ποιεῖ γίνεσθαι ὄντα χρώματα ἐνεργείᾳ χρώματα.

1. *Propria igitur actio intellectus agentis, similis est actioni luminis circa colores.*

2. *Ergo non est actio vitalis, sed inferioris ordinis.*

3. *Intellectus itaque agens non est potentia vitalis sed vitalibus inferior.*

4. *Non omnis facultas fluens ab anima, quæ est principium vitæ, facultas vitalis est, nisi fluat ab ea ut est principiũ vitæ.*

1. *Non igitur intellectus agens dicitur, respectu phantasmatum (iis enim iungitur tanquam forma & habitus) sed respectu intellectus patentis, iunctus enim phantasmatibus, in intellectu patiente species producit.*

2. *Intellectus igitur agens, agit potius ut intelligibilis, quam intelligens.*

3. *Est igitur intellectio propria actio intellectus patentis.*

4. *Intellectus igitur patiens est qui speciem intelligibilem abstrahit, & abstractam iudicat.*

5. *Ergo non solùm patiens sed & agens dici potest.*

THESES

THESES ASTRONOMICÆ.

I.

SPhæricum luminoſum majus, opaci minoris, maiorem medietate partem illuſtrat: Sphæricum luminoſum minus, opaci majoris minorem portionem irradiat.

1. *Ergo* ☉ *terræ maiorem medietate plagam ſuis radius illuſtrat.*

2. *Si igitur à nobis in faſtigio noſtri hemiſpharii conſiſtentibus, ad noſtros Antipodas ſemicirculus in ſuperficie terræ deſcriptus intelligatur, per eam lineam quæ à ſole ad centrum mundi extenditur ultra eius ambitum ſolis radii undique pertingerent.*

3. *Unde manifeſtum eſt ſolem ſub Horizonte adhuc merſum à nobis conſpici poſſe.*

1. *Ergo* ☾ *minorem terræ plagam illuſtrat.*

2. *Ad nos igitur in faſtigio noſtri hemiſpharii conſiſtentes ubi undique ab Horizonte quadrante circuli diſtamus radii Lunæ in Horizonte exiſtentis non proveniunt.*

3. *Ergo Luna oriens non videtur, & ante occubitum diſparet, etiam ſublatis omnibus terræ impedimentis*

4 *Dum igitur nobis Luna occidit Antipodibus noſtris ſtatim non oritur.*

4. *Ergo ſublata omni refractione,* ☉ *ante exortum & poſt occubitum à nobis quotidie ſpectatur.*

5. *Simul igitur & nobis, & noſtris antipodibus,* ☉ *conſpicuus erit.*

II. Aſcenſio obliqua eſt arcus Æquinoctialis ſupputatus à primo gradu ♈ uſque ad eum gradum Æquinoctialis, qui ſimul cum ſtella ſupra Horizontem obliquum elevatur.

1. *Omnis igitur aſcenſio ſtellæ ſupra Horizontẽ obliquũ, obliqua eſt.*

2. *Quæ igitur rectè oriuntur, oblique aſcendere poſſunt, & contra.*

3. *Quam longe igitur differunt aſcenſio recta, & ortus rectus.*

4. *In ortu itaq; recto, habenda tantum ratio eſt arcuum ecliptica, ſive diſcretorum ſive continuorum, at aſcenſio recta, non minus eſt cuiuſque punctι cœli aut ſtellæ, quam arcuum ecliptica.*

5. *Stricta igitur nimis eſt acceptio ortus Aſtronomici, non ſolum quod in Sphæra parallela, nullus ſit ortus Aſtronomicus, ſed etiã quod in ea poſitione Sphæræ, in qua Equinoctialis motu primo ſupra Horizontem elevatur, non conveniat omni puncto aut ſtellæ.*

III. Locus visus stellæ, semper humilior est vero loco ejusdem, ubi non coincidunt.

1. *Ergo stella quæ parallaxin habet, semper humilior apparet, quàm revera est.*

2. *Luna igitur, inter Orientem & Meridiem semper orientalior, à Meridie autem in Occidentem, semper occidentalior videtur, quàm revera est.*

3. *Ergo etiam quò Horizonti orientali propinquior, eo videtur nobis celerius moveri, tardius autem, quò magis occasui appropinquat.*

4. *Unde est quod propter hunc motum apparentem variabilem singulis horis & valde inæqualem, tempus incidentiæ in eclipsi solari à principio nimirum ad maximam defectionem, & tempus repletionis à maxima obscuratione ad finem, non semper æquentur.*

IV. In Eclipsi, ☉ non suo proprio lumine, sed terra, Solis lumine privatur.

1. *Si igitur naturam sequi velimus, Eclipsis hæc non Solis, sed terræ diceretur.*

2. *Ita ut si terram ex alto liceret intueri, quemadmodum deficientem lunam e longinquo spectamus, videremus tempore eclipseos solaris, terræ aliquam partem lumine solis deficere, eodem plane modo, quo luna defecit.*

3. *Verùm cum nos uno intuitu videre non possimus, quanta terræ portio lumine solis privetur, ideo defectum illum ad solem referimus, & eclipsin solis vocamus.*

4. *Eclipsis igitur solis, nequaquam ex centro terræ, sed ex visu eorum quos umbra Lunæ apprehendit, determinanda est.*

5. *Terminus itaque eiusdem erit visa latitudo Lunæ, sicuti eclipseos Lunæ, terminus est latitudo vera eius.*

6. *Cum itaque latitudo visa Lunæ borealis, semper minor sit verâ, Luna in duplo fere maiore latitudine visa boreali, solem obumbrabit quam in Australi.*

FINIS.